

illique menses ducunt nos per anni cursum : sed unus tandem illorum iurgabit nos. Scribit Cranzius, l. VIII. Wandal. c. XIII. tragicam historiam sane memorabilem. « Buchardus de Scrapelavum comes, vigesimus septimus archiepiscopus Magdeburg. decem et novem annis in pontificatu peractis, vir sobrius, pius, castus, prudens, et qui jura Ecclesie sue magno semper labore tueretur; cui multa foris bella, a ministeriis quoque Ecclesie sue pericula, sed ubique victor superabat. Cum cives illi Magdeburgenses infestis essent, quod improbam eorum voluntatem refræneret, cessit urbe cum clero. Erant inter cives, quibus fideret archiepiscopus, qui multa pro illo ad populum tentabant ut reconciliaretur suo domino. Pollicebantur se, eo presente, melius omnia, quam per interpositos acturos. Venit ergo, et rebus, ut videbatur, omnibus compositis, juravit utraque pars super venerabili Christi sacramento. Non multo post a civibus capitur, recrudescunt iræ in populo, et in carcerem tenebrosam detrusus, catenis oneratur, maceratur inedia, mille excruciat modis. Delecti tandem viri duodecim, de Magdeburgo octo, de Hallis quatuor personati, sed habitu simili, clavos manibus tenentes irruunt in carcerem, vinctum pontificem ludibundi chorizantium in morem circumveant, et ut in tenebris poterant, clavis sæpe innoxia jacentem tangunt: tandem chorea sæpius in orbem ducta, ne internosci, quis caderet, posset, unus ex his clava pontificis caput graviter percussit: choream tamen continuarunt, donec vere mortuum cognoverunt. Cadaver anno pene toto in carcere relictum est, ignorantibus eadem ejus canonicis. Tandem cives, velut ignari rerum, spectatum eunt, quid agat archiepiscopus. Reperiunt jam factore gravi, vermibus scatere; sic ut non posset internosci pontificis, nisi in capite, signum. Extractus, in medio templo tumulatur. Interdictum urbi divinis officiis: excommunicati omnes conscii. Episcopus Magdeburg. gladium distinxit carnalem. » Quid videtur vobis? Nonne hæc feralis chorea adamussim nobis depingit anni cursum? Saltant circum nos duodecim menses, et cum iis duodecim signa percurra a sole, quasi cives duodecim, blandi ac ludibundi; et singuli quidem clavam capiti nostro impingunt, non magna quidem læsione, quia particulam solum modicam vite nostræ detrahunt: sed unus tamen aliquis latet personatus atque incognitus inter illos menses, qui fortissimo tandem ictu vitam vobis abruptet: Videte itaque, fratres, quomodo ante ambuletis, quoniam dies mali sunt. Diogenes, cum aliquando ab obvio alapam accepisset, nil aliud reddidit, quam malum esse, quod homines

nesciant, quando galeis tecti prodire in publicum debeant. Semper ergo instructi galea prodire debemus, quæ est spes salutis, ad Thess. V. sed unde nobis spes salutis, nisi a bona conscientia, seu justitia?

Visa ergo nequitia animi: State induti lorica justitiæ, non sola casside, sed lorica totum corpus operiente; ne alioquin cum Achab rege, III. Reg. ult. vel una parte nudati vulneremini et pereatis. De Hannibale Carthaginensium duce scribitur, quod in bello arma nunquam deposuerit, adeoque etiam armis indutus somnum ceperit, ut semper ad pugnam paratus esset. Nos a potiori, ne ab hostibus animæ nostræ incauti obruamur, nunquam deponamus lorica justitiæ bonæque conscientie. Quo fiet ut nullo unquam tempore, nihilque metuamus, nullum annum, mensem, diem, horam.

### CONCIO III.

QUID AGENDUM UT BENE NOBIS SUCCEDANT ANNI FUTURI.

Quatuor litteræ nominis Jesu expendendæ. — I. Prima, nominis Jesu littera monet opera a Deo inchoanda. — II. Secunda, eadem examinanda esse. — III. Tertia, mortis nobis imminentis memoriam. — IV. Quarta, Deum præsentem semper in conspectu habentem.

#### THEMA.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. II.

Nescio, auditores, quidnam sibi velit, quod majores nostri, principes aliqui, etiam monetas aureas nomine Jesu consignarint. Ita enim legitur factum a Carolo M. imp. nummos, inquam, cunos, in quibus liber vite una cum nomine Jesu expressus erat hac inscriptione: Jesus Christus Rex regnantium. Alii nomen idem tribus litteris I H S monetis suis impresserunt. An forsitan indicare voluerunt, posse etiam in nomine Jesu reperiri aurum et argentum adeoque veras et solidas divitias? Sapienter profecto et vera, si ita censuerunt. Est enim hoc nomen Jesu thesaurus quidam cælestium divitiarum, et quasi liber vite, continens ac præscribens viam comparandæ veras divitias, quæ sunt bonorum operum merita cælestia, omnia mundi lucra et thesauros longe excedentia. Igitur hunc aurum nummum, hoc aureum monile, nomine Jesu insignitum, vobis, auditores, offero pro xenio, ut per id hoc anno omnes opulenti, non hujus terræ glebis, sed cælestibus opibus evadatis. Quod ut fiat, nummum istum ponderare et expendere conemur. Nomen Jesu Hebrai-

cum est, et quatuor continet litteras, iod sava, et ain.

I. Prima littera est iod, quæ cum sit apex litterarum, principium significat. Bene nobis succedet annus inchoatus, si principia actionum nostrarum diligenter observemus. Mirum est quomodo humani generis hostis insidietur operum nostrorum incertis; quod patet ex parabola seminantis; qui, ubi semen bonum sparsit, quam primum adfuit diabolus et superseminavit zizania, ut sementem bonam in herba suffocaret, Matth. XIII. Deinde, ex Joannis visione, Apoc. XII. in qua draco hiante ore expectabat partum mulieris, ut devoraret prolem vix editam. Novit enim ab intentione, quæ est principium actionum, dependere totam actionem. Ergo ut opera nostra omnia cum fructu fiant, adeoque bene nobis cedant, primo, a Deo inchoanda sunt, ita ut ad ipsius gloriam ea offeramus, priusquam inchoemus. Sic transfereamus ea in celum, ut ibi nobis lucrum et mercedem incomparabilem conquirant, quomodo et proles illa mulieris, Apoc. XII. de qua dixi, illico raptâ est ad Deum et ad thronum ejus. Idque non solum de bonis, sed etiam de operibus ex se indifferenter intelligendum est, quia: Si oculus tuus (hoc est intentio tua, ut explicat Aug. Greg. M. et Beda) simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, ait Dominus, Matth. VI. Et si delibutio sancta, et massa: si radix sancta, et rami, ait apostolus ad Rom. XI. Qui illuminato oculo scribunt, pingunt, fabricant, pulchra opera faciunt; qui cæco oculo, deformia. A libamine hostiæ sanctificatur tota hostia. A radice bona fructus boni, a mala prodeunt mali. Intentio fundamentum edificii est, bona super petram, mala super arenam struit. Illius opus stabit, hujus vero corruet. Atque ita fiet, ut omnes nostræ actiones meritum in cælo acquirant, nobisque ingens lucrum pariant.

Secundo, invocato Dei auxilio ad initium cunctarumque operis, ut det vires perducendi illud usque ad finem. Viderunt et fecerunt etiam hoc gentiles; unde poeta: A Jove principium. Alii primum vini poculum diis suis libabant, alii primos fructus offerebant, alii a precatione opera inchoabant. Unde Plinius initio panegyrici ait: Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus caperetur, quod nihil rite nihilque prudenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Senatum habiturus prius hostiam immolabat, auct. Gellio, lib. XIV. c. VII. Accedit Horatius, l. III. ode VII. Hinc (a Deo) omne principium, huc refert exitum. Denique, viam ingressuri sacrificabant Herculi, apud Festum Pompeium, l. XIV.

Alex. ab Alex. l. III. c. XXII. Nobis præter Deum, alius Hercules non est. Deum igitur invocemus ingressuri vitam, vel quodvis aliud opus aggressuri, si bene id nobis succedere volumus. Ita suadet Ecclesiast. c. XVII. dicens: In his omnibus (consiliis et actionibus tuis) deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Nos enim initia vitiarum et actionum nostrarum quidem videmus, medium vero et finem non videmus. Unde Jeremias, capite X. ait: Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos: et Prov. XXIX. Quis hominum intelligere potest viam suam? Bene ergo Gregorius Nazianzenus, Apol. I. monet: Quisquis negotium suscipitur, non alium meliorem commodioremque ordinem tenere potest, quam ut a Deo incipiat et in Deo conquiescat.

Hinc non immerito credimus divina dispensatione factum, ut primum anni diem Christus sacratissimo illo suo Jesu nomine cohonestaret, adeoque anni principio velut januæ affigeret, quo sciremus ipsi ejusque sacro nomini totum annum cum omnibus nostris actionibus esse consecrandum, ab eoque inchoandum.

II. Est sava, quæ significat dentem. Duplici de causa potissimum hominibus dati sunt dentes: primo ut cibum masticent et comminuant; deinde, ad vocem et litteras exprimendas, teste Aristotele, V. de generatione animal. cap. VIII. Qui ergo felicem sibi hujus anni progressum desiderat, is primo omnes actiones suas initio bene ponderet, et quasi cibum dentibus rationis masticeat, antequam transmittat; quod aliud non est, nisi prævio consilio omnia inchoare, nihilque inconsulto aut imprudenter agere. Consilium hoc præbet in primis Ecclesiasticus, c. XXXVII. cit. dicens: Ante omnia opera, verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. Tigurina versio habet: Initium operis sit ratio, et consilium præcedat omne negotium. Per tenebrosam domum pedetentim eundem est, et parietes prius palpandi, quam gressus faciendi. Hujusmodi domus mundus est, plenus incitiæ tenebris, erroribus, tendiculis et dolis: omnia ergo negotia, ardua præsertim cogitatione palpanda, et ut dixi, quasi masticanda sunt prius, quam peragenda. Documentum hoc reliquit Sanctus Thomas moribundus fratribus Cisterciensibus in monasterio Fossæ Novæ, rogantibus quomodo hæc vita sine errore et lapsu transiri posset. Respondit enim: « Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere possit, cur eam faciat: sic enim non sinet se transversum agi a cupiditate, passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat. » Refert P. Corn. in cit. c. XXXVII. Ecclesiastici. Fecit hoc Moyses, qui

in dubiis rebus ad Deum prius per orationem recurrebat; ac priusquam terram promissionis ingrederetur, præmisit exploratores. Sapiens illa mulier, Prov. XXXI. prius: *Consideravit agrum et emil eum*. Denique, ipsi naturæ hanc prudentiam docent: ubi enim navigandum est, prius, demissa bolide, profunditatem maris explorant, uti legimus Act. XXVII. et viatores vadum fluminis, antequam pertranseant; imo etiam vulpes, quæ prius glaciei firmitatem, admota aure, explorat, quam transeat. Sulti sunt, qui villam prius emunt quam videant, ut illi, Luc. XIV. quemadmodum et hi, qui gravia opera incipiunt, nescientes quomodo finituri sint. Notum puto quod Stumpsius, chron. suo scribit an. D. 1315. de Joanne Stokio, morione Leopoldi I. Austrii: qui ducis consiliariis, de invadendis confederatis Helvetis deliberantibus, respondit: *De invadendo cogitatis omnes, de evadendo nemo*. Quod sane eventus docuit, cæso Leopoldi equitatu, fugato pediatu. Ergo initio operis cogitandum de ejus fine et exitu.

Secundo, linguam refrænent et caute loquantur. Si quid enim est, quod pacem nostram turbet, et progressus nostros impediatur, est, lingua incauta et verba non masticata dente rationis. *Novacula*, et quidem *acuta*, appellatur lingua, Ps. LI. caute igitur tractanda est: Hebraice a *lais*, quod est *leo*, dicitur *lascon*, quod est *leunculus*. Quis autem nescit quanto periculo leones cirentur et coercentur? Hinc lingua a natura ori quasi carceri inclusa et alligata dentibus velut muro, labiis velut vallo cincta et munita est. Jam ergo sicut vir sobrius et temperans non deglutit cibum, nisi præmansum ac prope liquefactum; ita nec vir sapiens depromit verbum, nisi consideratione expensum: et sicut jaculator, priusquam bene collimet non emittit sagittam: sic neque loqui decet antequam ponderetur, quorsum et quo fructu lingua itura sit. Hoc si quis observet, promittit ei psalmista felicem anni progressum, Psal. XXXIII. *Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum, etc.* Teste enim divo Jacobo, c. III. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Didicit enim id, quod difficillimum est, et signum certum moderationis passionum ac cogitationum. Qui vero moderari ista novit, facile superabit omnes difficultates, et mente semper serena erit. Unde Sapiens, Prov. XIII. ait: *Qui custodit os suum, custodit animam suam*, hoc est, *vitam suam*, ut vertit Vatablus: et Prov. XXI. *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit animam suam ab angustiis*. A quibus angustiis? A remorsu conscientiæ, a litibus et rixis, a pœnis eas conse-

quentibus, ab obligatione restituendæ famæ, ab ira Dei et reatu gehennæ. Hinc S. Jacobus, c. III. epistolæ suæ linguam *clavo* navigii comparat, a cujus gubernatione pendet tota navigii salus et interitus.

III. Est *vau*, quæ *unicum* significat. Qualis vero hic uncinus? Qualem ostendit Deus propheta Amos, c. VIII. dicens: *Quid tu vides, Amos?* Et ille: *Uncinum pomorum*: et Dominus: *Venit finis super populum meum Israel*. Quibus verbis minatur Hebræis, quod sicut uncino excutiuntur poma ab arboribus, sic Hebræi capiendi et abripiendi sint ab Assyriis in captivitatem. Jam intelligimus quid sibi velit hic uncinus: mortis memoriam nobis ob oculos ponit: quam si nobis a tergo insidiantem quotidie cogitaremus, nullum dubium quin actiones nostras ita moderaremur, ut nihil unquam admitteremus, quod animæ quietem et felicitatem posset evertere. Uncino poma non tantum matura, sed etiam immatura violenter excutiuntur; neque illum evitare possunt ea, quæ in alto hærent, aut sub foliis latent. Pari ratione mors non tantum senes, sed etiam juvenes carpit: neque solum eos, qui in plateis jacent, pauperes, sed et divites sub tapetibus absconditos et jacentes in lectis mollibus atque eburneis. Bene ac vere Thomas Morus, dum pro Ecclesiæ et justitiarum defensione incarceratus esset, dixit: *Nihil se aliter pati ab aliis hominibus; siquidem mundus totus sit carcer, e quo unus post alterum educatur ad iudicium et reddendam Deo rationem*, ut in ejus vita refert Staplet. Accommodate ad id, quod respondit abbas Ammon cuidam fratri postulanti verbum salutis: *Vade, inquit, et talem fac cogitationem tuam, sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere*. Illi enim interrogant homines: *Ubi est iudex? Et quando veniet? Et in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Si igitur semper sic meditatus fueris: vix mihi, quomodo habeo ad stare ante tribunal Christi? Et quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Poteris salvus esse, Rosweidus, lib. V. vit. patr. libello III. Verum qui in carcere detinentur, sperant aut sperare possunt se inde liberandos: non ita nos detenti in hoc mundi carcere. Quare idem Thomas Morus adhuc sapientius dixit omnes homines jam ad mortem damnatos educi ad supplicium suum; sed alios recta et breviori via, alios longiore et per ambages, ita tamen ut nemo sciat ultra via ducatur, recta an obliqua, sive is juvenis sit sive senex, ut Staplet. ubi sup. Quod sane verissimum est: jam enim mortis sententia in omnes lata est, quando: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, ad Hebr. IX. Ergo ad supplicium nostrum continuo educimur, nec scimus utrum hodie an cras ad*

terminum perventuri simus. Quid igitur superest, nisi ut tales suscipiamus cogitationes, quales habent ii, qui ad mortem educuntur? Id certe nobis commendasse Dominum, quando dixit Lucæ IX. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie et sequatur me*; et rursum Matth. X. *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, vult S. Chrysostomus, homil. V. ad pop. Neque enim hoc ad discipulos tantum suos dixit, sed *ad omnes*, ait S. Lucas; et *convocata turba*, ait Marcus, c. VIII. « Hoc autem dicebat, ait citatus Chrysostomus, non ut lignum super humeros feramus, sed ut mortem semper ante oculos habeamus. Sicut igitur et Paulus, quotidie morere, et mortem deride, præsentemque contemne vitam. » Jam vero quis nescit quanta compunctione et animæ suæ cura pergant miseri rei ad supplicii sui locum? Num ibi risus aut saltatio? Num verba sordida aut levicula? Num oculorum evagatio? Num de crastino sollicitudo? Nihil horum; de morte et divino iudicio, de altero sæculo cogitant; de divitiis aut deliciis nihil in mentem venit. Huc videtur respexisse juvenis ille Eliu, qui in lib. Job, cap. XXXII. dixit: *Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo: nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus*; quasi diceret: Nec Deum offendam nec hominem; nescio enim quando sistendus sim ad iudicium Dei. Hoc si facere, auditores, et quotidie parare vos ad mortem velitis, quasi jam ad illam exeuntes, spondeo vos deinceps nullum scelus admisuros. Certe S. Chrysostomus prædicto loco subdit: « Non sum propheta neque filius prophetæ, futurum tamen manifesto scio, et magna et clara voce proclamo, quod si mutemur et aliquam animæ nostræ curam agamus et ab improbitate abstinamus, nihil molestum ingruet et triste. Et hoc manifeste novi, etc. »

IV. Est *ain*, quæ significat *oculum*. Hic est oculus Dei omnia cernens, qui ab Ægyptiis, *oculus mundi*, et de quo Zach. IX. dicitur: *Domini* (seu ut Arias vertit, *Dominus*) *est oculus hominis*, hoc est, Domini oculus est, qui omnia, quæ sunt hominis, videt. Unde Septuaginta vertunt: *Dominus respicit homines*. Hic est *virga illa vigilans*, seu (ut vertit Brasius Viegas) *oculata*; seu sceptrum, cui oculus omnia videns insistat, ostensum Jeremiæ, c. I. Deum enim totum esse oculum, non solum Tertullian. I. de Trinitate, et S. August. ep. CXI. ad Fortun. dixit, sed et Plinius ethnicus agnovit, qui I. II. c. VII. Deum totum appellat *visum et auditum*. Iste igitur est oculus, qui omnes nostros gressus et progressus promovebit ac fortunabit, si etiam oculus noster velut esse *Domini*, hoc est,

aspicere ad Deum velut inspectorem actuum nostrorum perpetuum. Si enim vere dicimus: *Oculus domini saginat equum, impinguat agrum, etc.* vere etiam prædicere licet, saginandum hoc anno spiritum nostrum et fœcundandum plurimis virtutum frugibus, si ab oculo divino oculum nostrum non avertamus. Quatuor illa animalia, quæ trahant currum divinæ majestatis, apud Ezechiel, c. I. singula coram facie sua, hoc est recta et antrosum, nec ad dextram, nec ad sinistram, constanter pergebant, nec revertebantur: summa etiam pace, licet valde inter se disparia, simul pergebant. Quæ causa? Quia currus, quem trahant, rotas habebat undique oculatas, quæ significabant Dei providentiam, quaquaversum aspicientem et omnia cernentem. Desideramus ergo et nos hoc anno recte procedere, ut nec ad dextram nec ad sinistram deflectamus a via mandatorum Dei? Ad oculatum Dei currum, perpetuo in nos intentum, oculos dirigamus. Erit ipse auriga securus nostrarum actionum. Si enim Seneca illi amico scribens, in epist. XXV. hoc dedit consilium: *Sic fac omnia tamquam spectet aliquis. Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, et habere quem respicias, quem interesse tuis cogitationibus judices*: multo magis proderit; testem actionum nostrarum constituere nobis Deum, illarum iudicem et vindicem: præsertim cum non imaginarie, sed reipsa præsens sit ubique. Addit Seneca: *Hoc quidem longe magnificentius est, sic vivere tamquam sub alicujus boni viri ac semper præsentis oculis*. Talis nobis est, non Cato, Scipio aut Lælius, quos ibi nominat Seneca; sed Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui non modo suæ divinitatis, sed etiam humanitatis, adeoque duplici oculo continuo nos intuetur, ut vel præmia bene, vel pœnas referat male agentibus. Cujus rei exemplum adfert B. Petrus Damiani card. suo ævo sapientiæ sol, lib. V. epist. ad Landulphum, epist. XVI. « Quidam alienam suam furtive surripuit, et cavæ clandestinus inclusit. Vir tamen ille pietatis operibus intentus consueverat esse, et præcipue humanitatem peregrinis et hospitibus sedulus exhibebat. Interea adest dives Jesus in effigie pauperis, et tamquam prolixo jam crine deformi, egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cætera officiosæ humanitatis impendia, cœpit illum forficibus attondere: sed dum tornat ac sagittat, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensque contremuit, et quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego, inquit, Jesus vocor, qui undique cuncta contemplo, et isti sunt oculi, quibus etiam suam vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxque disparuit. Ille protinus

ad cor rediens et divinam circa se clementiam recognovit, et quod inique præsumpserat, satisfactione purgavit. » Sic Dam. Terribilis ergo est hic oculus : quis eum non timebit? Oculos Augusti imperatoris claros et fulgentes reverebantur homines, ideoque ipsi loquentes vultum demittebant, gaudebatque si quos acrius intueretur, ii vultum submitterent, quasi ad solis fulgorem, ut refert Plut. in Augusto. Longe acriores et fulgentiores sunt oculi Christi, supremi imperatoris nostri : quia de ipso verissime scriptum est Ecclesiastici XXIII. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hos oculos revereamur, et ad illorum acerrimum obtutum demittamus semper vultum nostrum. Placebit hoc magno opere cœlesti imperatori nostro : gaudebit enim quod ipsius oculi contineant nos in sanctitate et justitia.

Hæc igitur est moneta, hoc monile aureum, quod vobis hodie opto auditores : unicum vocabulum est, sed interim liber est, veram et salutarem continens sapientiam. S. Bernardinus Senensis, maximus nominis Jesu amator et prædicator, in conc. fer. II. dom. VI. quadrag. to. IV. laudat sui temporis consuetudinem, qua patrini dant infantibus, quos e baptismo levant, nummum aureum vel inauratum, nomine Jesu insignitum, ut infans eum in pectore gestet, et cum ad annos discretionis venerit, apprehendat devotionem erga nomen illud, ejusque crebro recordetur. Idem suadeo vobis, ut hoc nomen scilicet cordi vestro inscribatis. Ita monet S. Bernardus, serm. XV. in Cant. *Semper (hoc nomen) tibi in sinu sit, semper, in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus.*

## CONCIO IV.

## PRÆSAGIA PRO FUTURIS ANNIS.

I. Magistratus non errabunt, si ad sententiam non festinarint. — II. Aulici acquirunt honores, si eos contempserint. — III. Conjugatæ bonos habebunt viros, si noverint tacere. — IV. Studiosi acquirunt opes et honores, si susceperint disciplinam. — V. Parentes tales habebunt liberos adultos, quales habent nunc teneros. — VI. Sic habebuntur a filiis suis, sicut ipsi habent parentes. — VII. Mercatores, caupones, opifices non ditabuntur, si festinaverint ditari. — VIII. Agricolis non deerit victus, si rebus suis ipsi adfuerint. — IX. Pauperes et operarii, si ebriosi fuerint, nunquam emergent. — X. Reliqui omnes, si timerint Deum, nihil timebunt.

## THEMA.

*Vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Luc. II.

Veteres hodiernum diem, seu calendas januarii superstitiose observarunt. Ex eo enim, quod cuique hodie contigisset, divinabant de totius anni sequentis decursu fausto, vel infausto. Fuit nuper etiam astrologus quidam judicarius, qui ex tempestatibus hodiernæ diei, futura contingentia et mira ominatus fuit, apud Majol. canonic. p. 1. coll. I. de meteoris. Sed nos Christiani jure hæc explodimus, nec homine christiano digna judicamus. Quia tamen adverti non paucos laborare ea curiositate, qua libenter nossent aliqua sibi in posterum eventura, volo eis dicere aliqua, ac ni fallor longe certiora, quam divinent impostores illi. Desumam enim hæc vaticinia mea a viris sapientibus, Salomone et Ecclesiastico, adeoque ex Scripturis sacris, quæ sic loquuntur, quasi communiter, non semper et infallibiliter, ea verificentur, more loquendi vulgari. Estque hoc conforme hodierno evangelio, in quo audimus etiam angelum prædixisse Christum futurum et appellandum Jesum, seu Salvatorem : idque in eo verificatum esse, salus et redemptio nostra ostendit.

I. Principibus et magistratibus prædico non facile erraturos in judicio ferendo, si non præcipientes, nec cum ira, sed caute et considerate processerint ad sententiam ferendam. Ita Ecclesiasticus, c. XXXII. asserit : *In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides.* Per viam ruinæ præcipitium intellige : hoc si fugiant iudices, non offendent. Quare aurigæ in præcipiti descensu rotam unam figunt? Uti que ne equi et auriga præcipitentur. Par, imo longe major, cautela adhibenda in iudiciis et consiliis. Docuit hoc Augustum imperatorem Athenodorus, ei valedicens hoc monito, ut

antequam aliquid statueret contra reum, prius viginti et quatuor litteras alphabeti recitaret. Unde idem Augustus annulum in manu gestavit, in quo sculptus erat cancer marinus, qui utroque forcice tenebat papilionem, præcipitantiæ typum, quo seipsum moneret, ne in iudiciis præceps esset, ut refert Claudius Paradinus. Fertur D. Martinus, aurigæ quærenti, an ea vespera Lutetiam pervenire posset, prudenter et prophetice respondisse : *Si festines, excluderis; si lento passu incedas, urbem hoc vesperi ingredieris.* Auriga indignabundus tamquam derisus, currum incitatis equis agere cepit : rota itaque fracta Lutetia excluditur. Sic Martinum verum præsa-gisse cognovit, Beirl. in theatro v. Consilia. Simili modo dico, si caute et tardo gressu processerint ad iudicia magistratus, pervenient ad veritatem et denique ad beatum finem : si præcipientaverint negotia, non pervenient. Deum sibi in iudicio propitium, cœlum apertum invenient, si causas et preces pauperum admiserint, non excluderint; alioquin non invenient. Ita enim Sapiens, Prov. XXI. asserit : *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur.* Hoc expertus est Macedonius magister officiorum Gratiani imperatoris, qui S. Ambrosio ad prætorium (ut pro quodam interponeret preces) venienti fores occluserat; ad quem Ambrosio. *Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam neque clausas januas inveniens, non ingredieris.* Quod et factum. Nam mortuo Gratiano, ad necem quæsitus, ad ecclesiam confugit, nec tamen ad eam aditum, patentibus licet foribus, invenire potuit, Paulin. in vita Ambrosii. Idem expertus est epulo. Contra qui audit causam pauperum, audietur a Deo : *Qua mensura enim mensi fueritis, remetietur et vobis,* Matth. VII.

II. Aulicis et honorum candidatis prædico acquisituros esse honores, si contempserint honores; si ambierint, non acquisituros. Ita Prov. XXIX. dicitur : *Humilem spiritu suscipiet gloria : et Christus sæpe : Qui se humiliat exaltabitur, etc.* Est enim honor velut pluma levis in aere volitans : si arripere vis, fugit; si fugis eam, sequetur te, et in vestem tuam cadet. Justinus Thrax in aula Anastasii imperatoris versatus, dum a tergo sequitur imperatorem, casu ejus paludamentum pede calcavit : eo animadvertens prædixit ei Anastasius, fore eum successorem suum in imperio; idque factum est, Polit. Christianus Caussini, f. CLXXIX. Ita qui per contemptum calcavit honores eos acquirat, juxta id Deut. XI. *Omnis terra, quam calcaverit pes vester, vestra erit.*

Deinde, diu vivent, si moderate et temperanter

vixerint. Ita enim Ecclesiasticus, c. XXXVII. ait : *Propter crapulam multi perierunt. Qui abstinentes est, adjiciet vitam.*

III. Gynæceo et feminis prædico habituras probos et pacatos viros, si, illis irascentibus, ipsæ tacuerint. Asserit enim Sapiens, Prov. XXV. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Verba data irato, iram ejus magis exstimulant, subtracta extinguunt. Suasit et prædixit hoc quidam Sapiens femina loquaci, conquerenti de mariti iracundia et furore : dedit enim ipsi aquam distillatam, et jussit eam, cum tonaret vir, cochlear aqua illa plenum ori suo ingerere, et tantisper in ore tenere, donec eum in lectum posuerit. Fecit, et quod petiit obtinuit : non virtute aquæ, sed silentii. Refert P. David, in verid. Christi., c. LVI. Hæc via S. Monica composuit virum suum. « Erat vero ille, ait S. August. l. IX. confess. c. IX. sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. » Sic obtinuit ut a viro suo, Patricio, nunquam caderetur, sed nec unum diem domestica lite dissentiret.

IV. Studiosis prædico acquisituros sibi opes et honores, si susceperint disciplinam : egestatem et ignominiam, si repudiarint. Ita enim Sapiens, Prov. XIII. ait : *Egestas et ignominia ei, qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.* Idem prædixit simul et præstitit studiosis disciplinæ amantibus, Carolus M. qui seminarium, in quo tenuioris fortunæ adolescentes non alebantur modo, sed et omni disciplinarum genere exercebantur; et alterum, in quo nobiliores instruebantur, ingressus, audiit illos morigeros magistris, valde in studiis progressos; hos vero insolentes et disciplinam aversantes parum proficere. Illos ergo ad dextram congregatos sic compellabat : « Macti virtute esto filioli : vos manent sacerdotia et dignitates non asperrandæ. » Conversus vero ad alios : « Vos (inquit) comperi dicto imperioque nostro inobedientes. Deum testor nihil penitus commodi honorisque a me ad vos profecturum. » Aventin. l. IV. annal. Boior. Quare qui cum prioribus volunt emergere, orent quotidie : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, Domine, P. CXVIII.* Ecce bonitatem, et disciplinam sequitur scientia. Sic evadent magni.

V. Parentibus prædico, tales fore eorum liberos in matura ætate, quales jam sunt in juvenili. Ita enim Sapiens, Prov. XX. *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus : et Prov. XXII. Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Solebant olim parentes liberos suos triennio expleto metiri, ut eorum